

Juramentum omnibus, qui huic Instituto adscribuntur commune.

LXII.

Omnes, & singuli, in quibuscumque Seminariis educati, finitis studiis, suscepto Sacerdotio, uti illi qui in majoribus ordinibus constituti, ad hoc Institutum fuerint suscepti prævia debita informatione in Domo Emeritorum, vel alibi facta, Juramentum ad manus Superiorum hujus Instituti præstabit: A quo Juramento sic præstito, per quod pactum inter membra hujus Instituti ultimato roboratur, nemo ex post facto nisi a solo Summo Pontifice absolvi potest, cui desuper prævio maturo causarum, & circumstantiarum examine supremus hujus Instituti Præses per se, vel alium debitam relationem faciet.

Formula autem Juramenti sequens est.

LXIII.

Ego N. Filius N. Diocesis N. plenam habens Institutum Clericorum Sæcularium in commune viventium notitiam, legibus, & Constitutionibus ipsius me sponte subijcio, easque quantum in me erit, observare promitto: Insuper tibi N. N. hujus Instituti Præsidi supremo, cuiusque in hoc munere legitimis successoribus, spondeo, & juro me sub directione tua privata, & œconomica, salva per omnia Ræmi Dni Ordinarii mei auctoritate, & Jurisdictione in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso foeminarum consortio binii, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta Constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, semper victurum, & moriturum. Denique spondeo, & juro me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum, a quo non possum nisi a solo Summo Pontifice absolvi. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sanctæ Dei Evangelia.

LXIV.

Prædictis non obstat, quominus quispiam post Juramentum prædictum, majoris perfectionis gratia ad ordinem Religiosum transire possit, ita tamen, ut non omni spiritui credatur, sed prius bene probeatur, & non tam proprio Judio, quam Superiorum hujus Instituti vere Dei vocatio esse approbetur. Tenebitur tamen talis (si ex novitiatu iterum discesserit) vi hujus Juramenti ad hoc Institutum redire.

LXV.

Qui præstito sæpedito Juramento ad dignitates Ecclesiasticas Episcopales, & ad quoscumque his similes promoti fuerint, etsi sub actuali directione Præsidis, ob respectum status, non sint, tenebuntur nihilominus præstare ea, ad que cæteri hujus Instituti communiter obligantur.

Quomodo Sacerdotes noviter ordinati ad curam Animarum applicari debeant.

LXVI.

Clerici recenter ordinati ad curam Animarum ordinarie non statim exponantur, sed prius in Dombus Sacerdotum Beneficiatorum, & Parochorum, ubi strictior Custodia, & disciplina urget, pro tempore vivant, & cum præsci-

tu, & consensu Ræmi Dni Ordinarii provisorio modo officia administrant, ut sic non solum disciplinam Clericalem magis imbibant, & in superioritate libertatis suæ pie, sobrie, castè vivere, etiam extra talem Custodiam postmodum expositi addiscant, verum etiam ritus, & ceremonias Ecclesiasticas circa curam Animarum cum debita dexteritate, & experimentaliter praxi solide comprehendant, & tunc demum utiliter, ac secure commodis occasionibus ad Cappellanas, Parochias, aliaque officia pastoralia cum consensu Ordinariorum exponi poterunt.

P A R S S E C U N D A.

C O N S T I T U T I O N E S

Pro directione spirituali, & temporali Presbyterorum, & Clericorum hujus Instituti, qui actualiter in cura Animarum, Beneficiis Ecclesiasticis, aliisque officiis quibuscumque existunt,

De vigilantia Superiorum, ut exercitia quotidiana tam pietatis, quam studiorum, & alia rite ubique observentur.

I.

Quilibet Superior particularis, qui unius Domus Clericos dirigendos habet, invigilet, ut decursus totius diei cum debita distributione temporis, ab omnibus sedulo observetur, atque imprimis, ut preces tam matutinae, quam meridianae, & nocturnæ cum debita pietate ab omnibus simul in loco ad orandum deputato persolvantur, similiter horæ Canonicae ab omnibus alicubi cohabitantibus, & legitime non impeditis, determinatis ad id horis simul recitentur.

II.

Statutis quoque horis, cuique loco accommodatis, Sacrificium Missæ celebretur, itaut reliquum tempus cum certa pariter distributione pro Studio tam Scripturæ Sacræ, quam Theologiæ, præsertim moralis lectionis Asceticæ, & similibus relinquatur, in quantum cura Pastoralis, visitatio Infirmorum, administratio Sacramentorum, ac actualis præparatio ad conciones & catecheses necessaria id patitur, quæ dum actu instant, cæteris præponenda sunt.

III.

Superioris quoque cujusque loci est ordinare, quidnam præter Scripturam Sacram, quovis tempore ad prandium, & cenam per mediam, circiter horam utiliter legi possit, ex quo utiles deinde discursus formari debent: recreatio post mensam ea semper esse debet, quæ honestatem & modestiam cum pace perpetuo sibi junctas habeat, ad quod pariter Superiori invigilandum erit.

IV.

Generalem ordinationem prædictorum omnium Superiores tempore visitationis faciant, juxta quam postmodum quilibet particularis Superior directionem suam prædicte instituat.

V.

Quilibet Superior alicujus Decanalıs, vel in vicini districtu singulis sibi commissis Clericis, & Sacerdotibus annum determinabit tempus, quo opportune recollectioni mentis in sua, vel alia ad hoc deputanda Domo insistant, sedulo-

que

que curabit, ut apud omnes debitum dicta recollectio fortiatum effectum: ad quam etiam extra hoc præscriptum illos disponet, quorum spiritualis infirmitas, aliaque Cause rationabiles id prudenter postulerint.

VI.

Ejusdem Superioris Domus in quovis districtu, refugii, & medicinæ spiritualis locus existet, ut spiritalem convalescentiam ibi percipiant illi, qui in Parochiis aliquid vulnus spirituale acceperunt, vel periculum passi sunt: quibus alii ad tempus, & tandiu succedent, usque dum eorum infirmitas per media spiritualia correctæ fuerit: Quod etiam de illis observandum, qui in spiritus desolatione versantur, aut in melancholiam, vel aliam afflictionem lapsi sunt, ut remediis spiritualibus adjuti fortiores ad stationem suæ vigiliæ regrediantur.

VII.

Idem Superior alicujus Decanalıs districtus aliquoties in anno tot Clericos, & Sacerdotes huic Instituto additos, ac privata suæ directioni assignatos in certum locum convocabit, & ad certum diem, quo sine detrimento Animarum, cura commode comparare poterunt, ad assignatas materias in scriptis Theſibus proponendas, ac more Scholastico, a constitutis ad id per vices oppugnandas, ac defendendas, ut singulorum ingenium, ac diligentia palam exinde fiat. Materiam, circa quam hæc exercitatio utiliter institui poterit, suppedabit Scriptura Sacra, casus conscientie, Theologia speculativa, & polemica, seu controversistica, ac Jus Canonicum. Directorium totius negotii penes prædictum ejusmodi districtum Superiorem erit.

VIII.

Præses hujus exercitationis a Superiore constituetur aliquis ex eodem districtu, qui in prædictis facultatibus præ reliquis eminere, atque ad hoc officium habilis esse videbitur.

IX.

Ad meliorem hujus rei successum in singulis Parochiis assignatas materias, certis per hebdomadam diebus, per unam, vel sesquihoram, mutatis vicibus, defendendo, & oppugnando sic eludent, ut deinde in publica concertatione, cum honore, & aliorum ædificatione defendens stare possit.

X.

Tempus ad privatum hoc exercitium magis commodum per se loquendo, erit post meridiem, ita quidem, ut prima media hora in recollectione, & præparatione, reliquum vero tempus in ipsa exercitatione, & colloquio infirmatur.

XI.

Domus particulares casus discutiendi caute Junioribus Sacerdotibus proponantur, ex quorum resolutione addiscant, quomodo sua principia Scholastica ad particularia applicare, & prudenter prædicare debeant.

XII.

Ut quilibet districtus Decanalıs a corruptione defectum, qui paulatim, nisi vigiletur succrescent, mature semper expurgetur, observandum erit, ut non tantum singulis ostiduis, certo determinato die, in quovis loco particulari, colloquium aliquid Constitutioni 45. Sacerdotum, conformiter instituat; verum etiam, ut singulis mensibus, finito supradicto Scholastico studio-

rum exercitio, priusquam, qui præsentem erunt, domum repetant, in Domo Decanali simili modo quoddam colloquium, ac conferentia spiritualis pro toto districtu Decanali instituat; eaque in medium proferantur, quæ ad conservationem, bonæ disciplinæ, & perfectionis incrementum in D. videbuntur Parochi, & Beneficiati alii ex dicto colloquio domum reversi, fideliter ea executioni demandare satagant, quæ in particulari ipsos attingunt.

Quid Superioribus circa substantialia hujus Instituti puncta sit sciendum, & observandum.

XIII.

Ut substantialia hujus Instituti puncta, quæ sunt Communitas Bonorum, cohabitatio fraterna, separatio Mulierum, & obedientia erga Superiores præsentis Clericalis Instituti, omnibus sufficienter innotescant: Superiores eorumdem prædicam notitiam perfecto quodam modo habere oportet, ut omnes circa eadem, tam per se, quam per alias personas idoneas, recte informare sciant; eaque notitia præhabita ad eorumdem observantiam sedulo inducant. Prædicta substantialia puncta, ne Præses Generalis, nec Convertertus qualicumque ullo unquam tempore immutare, aut relaxare poterit, cum sint veluti cardines, ac fundamenta, per quæ veluti per quosdam vectes in se sufficienter munitis, præsens Institutum, absque dissolutione in generatione & generationem per Dei gratiam subsistat.

XIV.

Ut vero prædicta hujus Instituti puncta substantialia tanto certius inconcussa semper manent, omnes, & singuli dicto Instituto se se aggregare volentes illa Juramento firmabunt, cajurandi formula, quæ habetur supra in Constitutionibus de directione Juventutis numero 63., vi cujus omnes, & singuli obligantur, non quidem ad particulares dictorum punctorum actus, itaut quoties aliquis quippiam contra illa, vel illorum aliquid admiserit, perjurus fieri censendus sit, sed solum ad constanter in hoc Instituto, in quo prædicta quatuor puncta observanda sunt, usque ad mortem perseverandum, ita, ut juxta Constitutionem 46. Sacerdotum ille solus perjurus fieri, censeri debeat, qui proprio motu, se ab hujus Clericalis vite, & disciplinæ statu separaverit.

XV.

Censentur autem Motu proprio se ab Instituto separare, qui sine legitima Juramenti sui facta relaxatione discedunt, aut verbis, factisque in Instituto deinceps vivere detrectant: uti etiam, qui per frequentatos actus graviter contra prædicta substantialia excedunt, & prævia trina monitione, præfixo a Supremo hujus Instituti Præsidi termino peremptorio, quod nisi monitioni pareant, ab Instituto separandi sint, si in contumacia perseverant, tales enim se ipsos suo facto ob incorrigibilitatem separare censendi sunt. Licet hic casus ibi, & tum solum accidere possit, quando alia ratio Delinquentem ad meliorem frugem Beneficio Domus Emeritor., vel alia via reducendi, & scandalum tollendi pro isto tempore Instituto non suppetierit.

De Communitate Bonorum in specie.

XVI.

Finis communitatis Bonorum est, ut a Clericis

mus, & familia rustica adibus Parochialibus annexa, & approximata accommodetur, ut ex eadem cibi inde ad Clericalem mensam commode deferri, & inspectio necessaria haberi possit. Aditus ergo in inferiori, vel media contignatione adium Sacerdotalium usque ad Domum rusticam traductus, & patens in sine clausuram habebit, cujus beneficio predicta separatio fiat, itaut nemo Clericorum per illum aditum ex adibus Sacerdotalibus ad Domum rusticam, neque ex familia, & domo rustica ad domum Clericorum unquam transire valeat.

LVII.

Ut major cautela adhibeatur, quantum locorum constitutio patitur, domus Clericorum contra omnem accessum, (vel januas non necessarias obstruendo, vel muro circumvallando) ita muniatur, ut relicta solummodo unica ad Clericalem Domum Janua ordinaria, omnis utriusque familie domesticorum, ad invicem accessus perpetuo discludatur, cujus rei melior accommodatio, pro locorum Constitutione Superiorum discretioni relinquatur. Denique fenestra cubiculorum, & totius Domus Sacerdotalis bene ferreis clathris obferate, & munita sint, noctu oclusis diligenter foribus claves ad Superiorem deportentur, ita ut neque intrandi, neque exeundi ulla occasio, ac suspicio esse possit, & sic tota Domus in timore Dei, & apud prudentes in bona estimatione stabit.

LVIII.

Pariter Domus Clericorum (etiam ubi familia rustica non est) ubique tam in Parochiis, quam in loco Decanali, & alibi, sic accommodetur, ut Sacerdotes, & Clerici omnes cum Superiore Domus in congressu communi habitare possint; Domus universim feris tectis muniatur, & cautela supradicta ubique adhibeantur.

LIX.

Parochus, vel Beneficiatus (assumpto officio Sacerdote, vel hoc deficiente, alio innocentia suae teste) ad minimum semel in septimana visitet Domum familie rusticae (quod in aliis quoque oeconomis universim observandum) videaturque num ea, quae in domo sub cura retinentur, intacta conserventur, & bene expendantur, atque advertentes aliquid non ut oportet conservari, aut expendi, sic corrigant, ut in posterum recte, & solide omnia fiant: negotiis cum debita gravitate, imperio, & modestia expeditis, ad Sacerdotalem Domum revertentur.

LX.

Quod si cum foemina ratione pastoralis officii, vel alia rationabili causa, necessario loquendum fuerit, in Domum Clericalem non intromittatur, & quae consilii, & necessitatis, & salutis animarum gratia loqui oportuerit, Clerici paucis, cum gravitate, & modestia in loco patenti absolvant. De cetero Superiores, mulierum consortia, absque dispensatione, strictissime praescindant omni etiam pio pretextu excludo, mulierumque visitationes, extra casum gravioris agritudinis, nulli unquam permittant.

LXI.

Ut ministerium, ad eos famulos, qui ad dies vite in hoc Instituto servire volunt, feliciter succedat: Superiores providebunt, ut ad hujusmodi munus juvenes morigeri suscipiantur, qui mature a Mundo abstracti in culinæ ministerio, aliisque

operibus domesticis probe aliquot annis instruantur, hosce famulos pietate pollentes Institutum ad dies vite, sanos, & vegetos retinebit, & omnia necessaria ipsis subministrando, ex debito obligationis amanter sustentabit: lisdem nihilominus certa merces annua constituetur, ut quod ultra vestitum, & alia necessaria exinde restat, pro eorum sustentatione a Superioribus in senio, vel alia necessitate expendatur, priusquam ad communia Instituti bona pro sublevandis eorum necessitatibus recurratur. Casu vero, quo in necessitatem talem non inciderint, id quod ex hujusmodi famulorum mercede restat, penes Institutum manebit, pro aliis similibus occasionibus expendendum.

LXII.

Invigilabunt quoque Superiores, ut etiam ceteri famuli, qui ad tempus tantum inserviant, sint fideles, & experti, quatenus hac ratione debitum servitium omnibus praestetur, ac necessitati singulorum sufficienter prospiciatur. Ad omne periculum tam in spiritualibus, quam temporalibus excludendum, Parochi, ceterique Beneficiati, & Clerici quicumque circa suspensionem, & dimissionem domesticorum, Superioribus ad nutum obtemperabunt.

De superioritate directiva, ejusque necessitate, ac principii practico, ut hoc Institutum perpetuo in Clero conservetur.

LXIII.

Ut hoc Institutum feliciter subsistat, debitam inter membra, respectu Superiorum, inferiorum subordinationem requirit. Unde, praeter publicam Reverendissimis Ordinariis praestandam obedientiam, quaedam directiva morum, ad disciplinae vigorem in Clero servandum, statuitur, per quam singulorum, qui de hoc Instituto sunt, vita in via charitatis immediate inspiciatur, & sic Clerici cum suo legitimo capite, quod sunt Summus Pontifex, & Reverendissimi Domini Ordinarii, perfectius, quam unquam coadjuventur.

LXIV.

Porro haec Superiorum ejusdem Instituti directio, privata solummodo, & oeconomica, eo potissimum spectat, ut a Clericis eidem addictis omnia, & singula, tam in spiritualibus, quam temporalibus, juxta ejusdem Constitutiones fiant: qui contra eas deliquerint, paterne monentur: quin, & inter domesticos parietes, levioribus poenis medicinalibus potissimum, si res ita postulare videatur, corrigantur: li denique, qui a Reverendissimis DD. Ordinariis ob graviores excessus publica auctoritate puniti fuerint, subsequenter in domibus emeritorum per exercitia spiritualia, exempla, & monita piorum virorum, solide emendentur. In reliquis vero, una cum omnibus Instituti hujus membris, quibus Superior Summo Pontifici, & Reverendissimi DD. Ordinarii sui Jurisdictioni sic subest, ut non tantum ad ea, quae a Clericis secularibus communiter praestanda sunt, sed etiam ad Constitutionem hujus Instituti, ac debita disciplinae observationem a Reverendissimis DD. Ordinariis adstringi possint.

LXV.

Quamobrem omnes, & singuli, non solum Dei mandata, divinaeque consilia fideliter observent,

vent, & mandatis, ordinationibusque Sanctae Sedis Apostolicae, ac Reverendissimorum DD. Ordinariorum debite sese subjiciant; verum, etiam Constitutionibus, & disciplinae hujus Instituti, tam Supremis Praefatis, & Superiores reliqui, quam ceteri Clerici obtemperent, prout uniuscujusque conditio requirit, ut sic totus status, undequaque perfectus in sua compage conservetur. Ceterum obedientia respectu Superiorum hujus Instituti, nulla specialis ex obligatione juramenti, sed solummodo ea est, quae ex jure naturali in quovis statu Superiori legitime mandari debetur.

LXVI.

Superiores se ipsos exemplum praebentes in quotidianis exercitiis, & observatione statuta disciplinae primi existentes, per prudentiam, & discretam moderationem ad sui amorem omnes trahentes, ea suavitate regnent, qua ab omnibus libenti animo, rationabile obsequium disciplinae, obedientiaeque praestetur, unde quamdiu per solas admonitiones, paternaque ordinationes subditos ad ea, quae praestanda sunt, inducere valent, potestate sibi tradita, mandando sub obedientiae vinculo, uti non debent, sed solummodo dum subditos suos, alia ratione in rebus gravioris momenti ad observantiam rerum praescriptarum inducere nequeant, praeter primis vero attendere debent ad debitam punctorum substantialem communitatis bonorum, cohabitationis fraternae, & mulierum separationis practicae observantiam.

LXVII.

Ordinarie autem hic ordo in correctione alicuius, qui contra Instituti Constitutiones, ac praecipue contra puncta substantialia delinquit, conformiter praecipue de fraternae correctione a Christo Domino Nostro Math. 18. exposita, servandus erit. Primo moneatur fraternae ab immediato superiore suo, vel alio quocumque. Secundo, si haec fraternae monitio nihil proficiat, recurratur ad immediatum superiorem Dicecesanum, vel alium: quod si vero superiorum Instituti charitativas admonitiones, & correctiones contempserit, deferatur ad Ecclesiam videlicet ad competentem Judicem Ecclesiasticum, qui pro sua Jurisdictione ad parendum talem compellat; in delictis autem publicis personarum hujus Instituti, si Rmus D. Ordinarius a se statuendas poenas potius in domo Emeritorum, quam alibi perfolvi a Reo voluerit, in eo superiores Instituti stricte obediant.

LXVIII.

In specie vero quilibet superior ea fideliter exequatur, quae sui sunt muneris, nec in officium alterius majoris, aut minoris superioris inordinate se immisceat, ne confusio suborietur, neque etiam rerum Caestium contemplationi, ac spirituali quieti tantum se tradant, ut reliqua fastidientes, suorum curam, vel obiter tantum gerant, vel omnino negligant; quae omnia in homine privato virtutis, in superiore vero maxime vitiositatis esse merito censenda sunt.

LXIX.

Divinis promissionibus innixi, viam regiam confidentiae in Deum in quibusvis negotiis, adversitatibusque constantissime teneant, certissime sibi persuadentes, omnipotentem Dei bonitatem semper plura nobis dare paratam esse, quam nostra necessitas requirat.

Insuper regimen suum solida, & constanti probitate, ac pietate in Deum ita firmare satagent, ut inter suos, tanquam sol a mane usque ad vesperam, sancto quodam virtutum fulgore lucere conspiciantur, Apostolo monente: *Te ipsum praebe exemplum bonorum operum.*

LXX.

Constitutionum observationi sedulo invigilent majorum placitis inherendo, novitates fugiant, ad externam quoque disciplinam solide observandam magno zelo incumbant, ut subditi facile intelligant, transgressionem, etiam minorum Superiori suo displicere. Conferentias spirituales suis temporibus instituant, & cum suis privatim, etiam saepius loquantur, ut sciant in quo statu quisque versetur, & quas necessitates tam in spiritualibus, quam temporalibus patiantur.

LXXI.

In omnibus tales se subditis exhibere satagent quales ipsi libenter etiam alios erga se habere velent, si subditi essent, & maxime sibi cura habeant, ut sine suae personae exceptione uniformem aliis cohabitationibus in humili mentis, ac spiritus submissione vitam degant, & nec minimum talis eminentiae signum edant, quod proprium amorem, aut suae personae honorem, fastumque animi sapiat, sed in omnibus actionibus, ac mandatis mansuetudinem verborum, suavitatem morum, modestiam, & charitatis affectum demonstrent, ut sic subditi in obsequium obedientiae captiventur.

LXXII.

Erga omnes humanitate, comitateque utantur faciles aures eorum honestis postulatis praebendo, & pro diversitate nationum gravitatem, severitatemque ita conjungant, ut qui amore regi malunt, hilios se esse experiantur, qui vero fecus fecerint, imperium sentiant superioris: beneficiis quoque domesticae charitatis omnes sibi in obsequium amoris devincere conentur, & eorum delicta virga severitatis, ac iustitiae ita corrigant, ut tamen simul oleum consolationis ad exemplum Samaritani vulneribus infundant: insuper diligenti circumspectione ad suorum necessitates attendant, & tempestive easdem sublevare studeant: omni etiam hora promptam benefaciendi voluntatem accedentes experiantur.

LXXIII.

Simplicem veritatem, ut pupillam oculi custodiant, ut sicut os loquitur, ita & cor sentiat, animique candorem, & sinceritatem tam in verbis, quam in factis exclusa omni politica simulatione, sic praesferant, ut subditi de contrario nullam suspensionem habentes vere sentiant tuto se illis fidere posse. Datam fidem erga omnes fideliter custodiant, & si quid secretorum, subditi illis crediderint, filere sciant.

LXXIV.

Ad animi fortitudinem in adversis in omni vita sua magis conentur, qua domesticorum, & propriis malis possint resistere, atque equo animo ad exemplum Christi, & Sanctorum ejus tolerare. Pondere fortitudinis caveant, ne nimia animi facilitate ad omnem subditorum propensionem, precesque, propositam ante sententiam mutent. In rebus agendis deliberationes serias praemittant, ad quas tam experientia quam natura prudentiores adhibeant, proponant res discutendas absque inclinationis suae manifestatione.

sum, vel mortem ex gratiosa Reverendissimi Domini Ordinarii, vel Patroni concessione, successori ex hoc Instituto fuerit, mobilia, quæ successori ad ducendam œconomiam necessaria sunt, non distrahentur; Cum antecessor, si hujus Instituti fuerit, sine detrimento nunquam vendat, successor vero maxima cum incommoditate, & difficultate coemat, ac de novo familiæ de mobilibus prospiciat: proinde a Superioris ordinatione, & prudentia in tali casu rerum temporalium dispositio, aut translatio, quæ ex rationabili necessitate, vel utilitate fieri subinde debere videbitur, dependebit. Ita tamen, ut pro iis, quæ successori relinquuntur, honestum, & moderate taxatum pretium certo, & præfixo termino in casu mutationis ab una ad aliam Parochiam, sive beneficium solvatur antecessori, in casu vero mortis Instituto.

XXXVI.

Quod vero, & quantum ex annuis hujusmodi Beneficii redditibus, tum antecessori, tum successori competat, pro illa parte temporis, quo quisque illorum illud possidet, juxta Capitularia statuta, vel alias cujusque Diœcesis leges, & consuetudines determinetur, & ordinate adnotetur, idque præfente, ac confirmante eo, cui de jure, vel consuetudine competit, & si opus fuerit præfente uno ad id ex Instituto deputato, ut omnis confusio evitetur, & charitativè singula disponantur.

Observanda de fraterna Charitate.

XXXVII.

Cum hoc Institutum pro sine suo habeat in salutem Populi ita dispersim vivere, ut tamen quantum possibile fuerit, ubique duo, tres, vel plures ejusdem Instituti Clerici, & Sacerdotes in eadem Domo fraterne cohabitent; Superiores diligenter invigilabunt, ut ex speciali favore Reverendissimorum DD. Ordinariorum, ac Patronorum, liceat etiam Ruri fraternam duorum, vel plurium hujus Instituti Clericorum cohabitationem instituire, ac continuare.

XXXVIII.

In Oppidis, ubi subinde plura partim curata, partim simplicia existunt beneficia, quorum possessores seorsim habitare consueverunt, Sacerdotes Instituti, ubi duo, vel plura ejusmodi beneficia obtinuerint, quantum fieri potest fraterne, cohabitare obligantur, in magnis tamen Civitatibus, nisi commode, & sine periculo Animarum cura suæ commissarum, possint, non uno loco omnes simul, sed in diversis bini, vel plures cohabitent.

XXXIX.

Quod si in Pagis, & Oppidis Parochialis Ecclesia Cappellanum hæcenus non habuerit, interim tamen redditus adsint, quibus duo Clerici congrue ad onus pastorale ferendum sustentari posse videntur, Superiores cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii Parocho Sacerdotem non tam in subsidium animarum curæ, quam in subsidium continentis, & disciplinæ, securius servandæ adjungent.

XL.

Porro si Parochialis Ecclesia Cappellanas, seu filiales Ecclesias distantes sub se habuerit, Reverendissimi Domini Ordinarii locorum rogandi erunt, quatenus permittant, ob bonum discipuli-

na Clericorum cohabitationes ita divisas ad unam socialem contrahere, dummodo per excussionem, citra neglectum animarum, humanitas prædicta loca provideri possint, in quo ex judicio Reverendissimi DD. Ordinariorum determinatio fiet; dictæ Ecclesiæ filiales, vel Parochiæ a se invicem ultra horam non distent.

XLI.

Cæterum hi Sacerdotes tam Divina officia, quam Conciones, & Catechismos diligenter in Ecclesia propria peragant, non secus, ac si in loco residerent: Parochianos de baptizandis, & de providendis ægrotis provide ammoncant, & semel saltem, præter festa, & Dominicas in septimana quisque ad Ecclesiam suam certo die ad sacrum celebrandum exeat, ut Parochiani, id præfentes, suis, & suorum necessitatibus spiritualibus facile consulere possint, ad sacramentorum administrationem evocati, in omni casu sine mora promptos se exhibeant.

XLII.

Casu quo tanta Ecclesiarum distantia foret, quæ positam mensuram notabiliter excedat, atque ob defectum reddituum duo habitare nequeant, qui tunc solitarie exponendus erit, sit solitudinis amans, & provectioris ætatis, ejusque constantia in castitate, & sobrietate probe perspecta habeatur; insuper singulis septimanis ad domum Decanalem, vel Parochiam aliquam ad Sacerdotes hujus Instituti pro faciendâ Sacramentali confessione veniat, ei Superiori de vitæ suæ statu frequentius rationem reddat, acceptaque spiritali exhortatione, & consolatione novo cum fervore domum revertatur; in eundem finem sæpius etiam talis a superiore Decanali, vel Parocho quodam visitetur, pro administranda culina, & familiæ famulum habeat, observeturque, quod infra de separatione Mulierum statutum habetur.

Quid respectu cohabitantium Clericorum observandum.

XLIII.

In primis omnes studeant se tales in conversatione suæ vitæ exhibere, ut suis affectibus ex sincero corde sic dominantur, quatenus cuivis cum animi jucunditate cohabitare sciant, firmiter etiam sibi persuadeant in omni familia quantumvis bene ordinata imperfectiones, ac inordinationes quandoque contingere; hinc apud se omnino statuunt, defectus aliorum in verâ, & Christianâ patientia tolerare, ac ejusmodi tam in temporalibus, quam in spiritualibus supportare.

XLIV.

Superiores in conjunctione Clericorum, prudenti circumspectione ex notitia geniorum, & indolis attendant, ut tales semper combinentur, ne vel contemptus, vel nimia familiaritas inde sequatur: pro directione univèrsim tales constituantur, qui non modo passionibus suis sufficienter dominari posse noscantur, verum etiam illos, qui ipsis subjiciuntur in omni genere virtutum, & scientiarum, quantum fieri potest superent, vel saltem adæquent; contemptum enim parit, si qualitates subditi qualitatibus superioris præstent.

XLV.

Ubi duo, vel plures cohabitant, unus semper

per sit ex iis, qui officio Œconomis cum debito rerum temporalium emolumento fungi sciat, qui in rebus spiritualibus ferventior, & in servanda disciplina exactior esse noscatur.

XLVI.

Ubicumque hujus Instituti Sacerdotes simul habitant, superioribus curandum est, ut neque omnes juvenes, sed ita potius senes conjungantur junioribus, ut seniorum cautela juniorum libertatem custodiat, & juvenum fervor seniorum imbecillitatem in perferendis laboribus sublevet, univèrsim combinatio Sacerdotum ea circumspectione semper fiat, ut in quocumque, unus, vel alter deficiere noscitur, tertius opposita, qua eminet virtute, defectum proximi sui, quoad fieri posset, corrigat, atque emendet.

XLVII.

Præterea, non indignum quilibet arbitretur, si in proximo suo custodem habeat, a quo charitative corrigatur, & moneatur, idque tam quoad actiones quæ domi, quam quoad ea, quæ foris peraguntur: Quapropter semper conari debent, ut duo simul, etiam foris existant, qui sibi invicem sint tam conversationis, quam innocentis testes, ac monitores.

XLVIII.

Hospitales ad invicem, & ad omnes charitative cum omni humilitate se exhibeant, & servitia necessaria omnibus præstari a suis curent; itineris enim molestiis defatigati, refrigerio hospitalitatis sublevari debent: erga personas vero cuiuscumque status, servata proportione, se taliter habeant, ut ab omnibus bonum testimonium Charitatis Christianæ reportare mereantur.

XLIX.

Denique ut, qui in hoc Instituto vivunt, in morte minime deserantur: singulorum locorum superiores disponent, ut exequiæ Christiano modo statui Clericali conformiter peragantur, & in loco depositionis præmissa semper vigilia Defunctorum, tam primus, quam septimus, & trigessimus pro Defunctis celebretur. Insuper omnes Sacerdotes hujus Instituti juxta Constitutionem Sacerdotum 28. pro salute animæ ejusdem tria sacra celebrabunt, qui in illa Diœcesi existunt, ita tamen, ut in cæteris Diœcesibus, quæ uni alicui Archidiœcesi, more in Ecclesia consueto, subjiciuntur, unusquisque si non tribus, saltem uno sacro animam Defuncti divinæ misericordiæ commendat.

Quid Superiores in puncto separationis Mulierum observandum habeant.

L.

Eam Mulierum separationem Clerici omnes communiter observare tenentur, in conscientia ad hoc adstricti, quæ requiritur, & sufficit ad vitandum scandalum, & ad proximam occasionem peccandi tollendam. Ad tollendam vero omnem Clericorum cum mulieribus cohabitationem; in Cap. *Inbibendum extra de cohabit. Clericorum, & mulierum*, ita statuitur: *Inbibendum est, ut nullus Sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse retineat, sed neque illas quas SS. Canones concedunt, Matrem, Amitam, Sororem, quia instigante Diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur. Unde præfens Institutum*

eo collimat, ut Clerici, in eodem viventes, in institutis hinc in familiis timorem Dei custodem, castitatem Dominam, amorem vero Rectorem totius Domus suæ habeant.

LI.

Proinde nemini licebit, ex sexu muliebri, sive Matrem, sive Sororem, sive aliam in quocumque gradu consanguineam, aut alias quantumvis piam, & Sanctam mulierem, sub eodem tecto, quo Clerici duo, vel plures congregati habitant, habere, cum sit vel periculosum, vel scandalosum, aut saltem non deceat, aliaque viro Clerico inde incommoda emergant.

LII.

Si quo casu substantialis hæc Constitutio per se loquendo inviolabiliter servanda, in praxi, & casu particulari nulla ratione observari posse videretur, eo quod familia de novo incipienda, in qua ob prædia rustica, vel aliam ob causam similem pecora sint alenda, & incontinenti fieri non possit per habitationem diurnam, nocturnamque distinctam sufficiens separatio: ea quamprimum ordinetur, sive ex favore Reverendissimi Domini Ordinarii, sive ex mediis ipsiusmet Communitatis.

LIII.

Media porro, quibus generalis ista Constitutio inoffenso pede in familia Clericorum constanter decurrere possit, erunt sequentia. In locis in quibus prædia rustica annexa esse non solent, culina, & tota familia virosum, sive famulorum opera instituantur, qui omnia ministeria domus præstent; in locis vero, sive Parochiis, quibus rustica prædia annexa esse consueverunt, quorum ratione, & inevitabili quadam necessitate similis culina, & familia propter emolumentum, fructusque agrorum, & decimarum, institui necessarium est, mulierum servitia tolerabuntur, ut sic non solum culina, verum etiam toti reliquæ familiæ melius prospiciatur.

LIV.

In dictis servitiis, Sacerdotum Parentes, & consanguinei, quantum fieri poterit, constituantur, quibus deficientibus, alia honestæ provectiorisque ætatis personæ assumantur, ita tamen ut a Clericorum tam diurnis, quam nocturnis habitationibus, intercedente sufficiente clausura, sejungantur, quod proinde Superiores hujus Instituti constantissime amulabuntur.

LV.

In hunc finem Parochialibus ædibus domus rusticæ in loco quodam vicino annectantur, vel pars in ipsâ Sacerdotali, si amplitudo id patiat per murum interjectum separetur, in quibus Matres familias degentes, subordinatum quoddam super totam familiam rusticam regimen, habebunt: Parochus vero hanc inferiorum directionem culinæ, & totius familiæ in prædictam, matrem familias immediate rejiciat, ut ita Clerici negotiis inferioribus sepositis a Mulieribus penitus separati, in vitæ sanctitate Deo servire, & salutem animarum liberius invigilare valeant.

LVI.

Porro, ut prædicta separatio commodius observari queat, & ne ejus occasione, aut Parochus necessariam inspectionem in familiam negligat, aut in cibis, aliisque requisitis pro Clericis ad Domum Sacerdotalem deferendis, difficultas, aut incommoditas sit inter utraque, ædes aditus, ac porticus intercedat, quo ita Do-

ricis hujus Instituti, omnia ex Beneficiis Ecclesiasticis, & functionibus, quibuscumque provenientia, in usus pios, Ecclesieque Dei salutare, ac præfixo scopo hujus Instituti convenientes, debito modo, & ordine conferantur, & applicentur; eorumque bonorum abusus tollatur, seposita omni avaritiæ, & prodigalitati specie, singuli sedulo curabunt, ut huic Instituto Clericali vere fideles dispensatores se exhibeant, in omnibus sincere expectantes commune bonum, tanquam proprium Jesu Christi D. Nostri patrimonium.

XVII.

Superiores mature considerare debent quidnam in dispensatione bonorum communium jam in massa communi collectorum potissimum sit observandum, & primo quidem invigilare debent, ut Sacerdotibus senibus, aliisque inhabilibus sufficienter provideatur. Deinde si Sacerdotes Curatos, & Beneficiatos, casu aliquo extraordinario, subsidio egere contingat, ex bonis communibus illis succurrendum erit: similiter quando aliquis ex hoc Instituto receniter ad Parochiam, vel Beneficium aliquod promotus, novam alicubi economiam instituire, & rebus necessariis instruire debet, suppellestilia, & alia maxime necessaria, vel pecunia pro iisdem comparandis suppeditanda erunt; ea tamen lege, ut si pecunia sic subministrata, sive pretium, quo suppellestilia fuerint æstimata, medio, vel infimo pretio ordinata conscribantur, traditaque desuper obligatione successiva, prout potuerit, commode Superioribus ex proventibus annuis restituantur, ut aliis quoque in simili necessitate constitutis succurri possit. Tertio subveniendum quoque est Pauperibus Sacerdotum hujus Instituti Parentibus, Fratribus, & Sororibus juxta Constitutionem 22. Sacerdotum.

XVIII.

Post hos magis necesarios communium hujus Instituti bonorum usus ingenuis Adolescentibus ad hanc Clericalem vitam educandis applicanda erunt.

XIX.

Postquam Domibus Juventutis, & Emeritorum in quadam Archidiecepsi, vel Dicepsi ex mediis Communitatis, vel Patronorum sufficienter provisum fuerit, tunc ad ædes Parochiales convenienter ad præscriptum Instituti vivendi modum accommodandas, ubi necesse fuerit, vel ex mediis ipsorummet Parochorum, præter id quod forte juxta morem Dicepsis in conservationem illarum annuatim ab illis impendi debet; vel ex collectis ipsiusmet Communitatis mediis, si aliunde haberi nequeant, quantum necesse fuerit, applicari poterit.

XX.

Similiter ordinari poterit, ut si desint media pro cohabitatione duorum Clericorum, in loco quodam particulari ob curam Animarum, aut alia de causa ordinanda, Superiores hujus Instituti, tandiu media necessaria pro altero Sacerdote subministrant, quamdiu hujus Instituti Sacerdotes in tali loco curam Animarum præfuerint; & quia aliorum est similibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus, vivendi media subministrare, ideo speciatim, & authentice cavendum, ne ex hac gratuita alimentorum subministracione, pro quocumque futuro tempore Instituto quædam obligatio imponatur.

XXI.

Eleemosynæ pro varietate, vel Religiosis, vel aliis faciendæ ex mediis huic Communitati obligatis, a Clericis beneficiatis, juxta Leges Christianæ charitatis, & juxta dictamen prudentiæ fieri possunt; specialiter tamen suadet, ut Parochianis suis indigentibus, pro ratione reddituum suorum præ aliis benigne subvenire studeant.

XXII.

Bona Communitatis in una Archidiecepsi correspondente quoad domum Emeritorum, & Juventutis, cum quibusdam Dicepsibus ejusdem Archidiecepsis, uti etiam media Dicepsis populosa, quæ propriam Domum Emeritorum, & Juventutis habet, in eadem applicari debent, nec possunt per se loquendo, etiam pro parte aliqua transferri, in casu extraordinario, ubi ob gravem necessitatem Christiana charitas suadet, ut aliis membris hujus Instituti ad bonum Ecclesie Catholice succurratur; ordinatio desuper fiet a Præfide Dicepsis cum consilio Superiorum Decanalium ex una, & ex altera parte a Præfide Supremo; quod si rei gravitas postulaverit, Reverendis. D. Ordinario loci quoque desuper referendum erit, ut cum ejusdem præfide, & consensu, ad evitandas quascumque suspiciones res tota peragatur.

XXIII.

Ubi communes sumptus faciendi sunt in negociis, totum Institutum concernentibus, Superiori Præfide erit, proportionaliter ex collectis mediis particularium Dicepsium illud exigere, quod ad ejusmodi negocia pertractanda necessarium fuerit.

XXIV.

Communitas bonorum mutuam infert obligationem singulorum membrorum ad Institutum, & Institutum ad membra; ita ut singuli ad omnia bona sua ex Beneficiis Ecclesiasticis, & functionibus, ac officiis quibuscumque provenientia in pios communis usus conferenda, vi conventionis mutue, pactique ultro citroque obligatorii adstricti; ipsi quoque Superiores nomine Instituti, singulis membris fideliter in necessitate subvenire teneantur.

XXV.

Si quis Sacerdos, vel Clericus animo sese Instituto aggregandi aliquandiu cum ejusdem Instituti Clericis habitaverit, dein vero, antequam consuetum Juramentum præstet, mutata mente recedat, præter sumptus ipsius causa factos, nihil persolvere teneatur; & si vero post præstitum Juramentum ad Ordinem Religiosum transire voluerit, vel proprio motu se ab Instituto separaverit, vel ab eodem ob incorrigibilem morum pravitatem, aliamve quamcumque causam dimissus fuerit, ex illis, quæ in Instituto acquisivit, etiam tum, vel ad cassam communem, contulit, vel apud ipsum adhuc existunt, de Jure nihil pretendere, vel secum auferre potest; contrarium si fecerit sine præhabito Superiorum Instituti consensu, id restituere tenebitur.

XXVI.

Si qui Sacerdotes, aut alii Clerici existentes, bona quædam ex beneficio, officio, vel functionibus Ecclesiasticis acquisita jam habeant; ac postmodum ad Institutum suscipi petant, libere de iis, quæ extra Institutum acquisiverunt, disponere possunt, vel in usitatos hujus Instituti, vel

vel in alios licitos, & honestos usus, nisi ob iminentem ex senectute, aut alio capite ad officia, & functiones Ecclesiasticas inhabilitatem æquitatis ratio postulare videatur, ut Instituto consignetur, cui per susceptionem talis Personæ onus eam honeste sustentandi accrescere dignoscitur.

XXVII.

Omnes vero, & singuli, qui per Juramentum se huic Instituto obligarunt, de bonis suis, sive Ecclesiasticis extra Institutum acquisitis, sive patrimonialibus, de quibuslibet disponere habent, mature ita disponant, ut casu, quo dominium eorum penes se retinere voluerint, tota, vel potiore saltem eorum curam alii committant, cum nec Instituto, ejusque discipline, nec ipsismet Sacerdotibus in officiis, & functionibus Ecclesiasticis occupatis conveniat multum ejusmodi rerum curis occupari, quæ a suscepto statu valde sunt aliena.

XXVIII.

In quovis loco particulari ratiocinia acceptorum, & expensorum ab uno & eodem fiant, qui juxta diversas rubricas, cujuscumque personæ in eadem Domo habitantis, redditus ex Beneficiis, & salariis districte annotet, ne aliqua collusio sequatur. In Seminariis, aliisque Domibus, ubi communes redditus pro illa Domo sunt, nullam personam particularem spectantes, & simul alii redditus sint ad particulares personas in illa domo ex Beneficiis, vel officiis obvenientes, tum ne confusio oriatur, fieri debet commune ratiocinium, & aliud particulare super accepta, & expensa reddituum particularium istarum personarum.

XXIX.

Cum non solum Institutum hujus intersit, sed etiam Dicepsum, ne Bona communia minus fideliter administrantur, aut ad supradictos Ecclesie Dei utiles usus non expendantur; Ideo Reverendissimi Domini Ordinarii, quoties defectus notabiles in administratione a Præfide commissus innotuerit, desuper liberam acquirendi, & rationes super bonis Instituti in commune collatis exigendi, defectusque, interposita auctoritate sua ordinaria, corrigendi potestatem habeant: Defectus vero, a Superioribus Præfidentis subordinatis commissi, a Præfide corrigantur, salva tamen, ut in præmissis, Ordinariorum Jurisdictione; ut hac ratione per debitam eorum administrationem, ac dispensationem fiat, quod juxta approbatam hujus Instituti Constitutionem fieri solet, ac debet.

XXX.

De reliquo cum singuli hujus Instituti Clerici intuitu beneficiorum suorum Reverendissimis DD. Ordinariis ea præstare debeant, ac res ipsa præstent, quæ alii Clerici extra Institutum viventes, juxta cujusque Dicepsis consuetudinem, intuitu eorumdem beneficiorum præstare debent, bona ab eisdem in commune ad massam communem jam collata, alio insuper onere, seu exactione gravanda non sunt, cum æquitatis ratio non permittat, ut ab hoc, quod superfluum sua in communes pios, & tum statui Ecclesiastico, tum ipsimet Sanctæ Ecclesie Catholice valde proficuos usus conferant, amplius, quam alii Clerici seculares graventur: Cum enim eorum onera, ac obligationes quæ redditus beneficiorum suorum communiter cum illis sine

ulla exemptione ferant, merito iisdem etiam cum illis juribus, privilegiis, atque immunitatibus gaudent. Hinc & particularis dispositio circa temporalia hujus Instituti bona ad capiam jam collata, eorumque dispensatio in usus præscriptos ad ejusdem Instituti Superiores spectat.

XXXI.

Vi Communitatis bonorum, sive pastu Jurati, nemini liceat ex hujus Instituti Sacerdotibus, & Clericis testamentum seculare condere, aut consanguineis suis bona sua temporalia ex beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis, ac officiis quibuscumque provenientia pro quacumque voluntate, voluntatem ultimam relinquere. Ideo omnes, & singuli quibuscumque dignitatibus Ecclesiasticis non obstantibus obligantur, ut quocumque de rebus suis disponendi modo Clericis concessio, & consuetudo, bona sua prædicta Superioribus hujus Instituti ad fundandas Domos educande juventutis, & Emeritorum Sacerdotum, aliosque fines huic Clericali Instituto conformes, dispensanda relinquunt, memores omnia, quæ possederunt, esse propria Domini Nostri Jesu Christi, in cujus infinitam gloriam, profectumque animarum hoc Institutum omni tempore impensurum sit, nihilque æquius esse, quam illorum, etiam commoda sentire, quorum onera in vita, & morte suscipiuntur.

XXXII.

Donationes Ecclesie, cui quis deservit, vel parentibus, Fratribus, & Sororibus indigentibus fieri possunt; ea tamen fieri debent cum præfide, & consensu Præfide alicujus Dicepsis, vel Territorii, vel ita ut juxta ratiocinationem ejusdem valere debeant: Superioribus vero ejusmodi denegare, vel immutare non licebit, nisi manifeste videant, adhibito consilio aliorum, aut habita etiam in re gravi sententia Reverendissimi Domini Ordinarii, quod irrationabiliter ea facta sint.

XXXIII.

Legata, & donationes, quæ ipsismet membris hujus Instituti ab aliis sunt, intuitu officii, vel cujuscumque respectus ad statum Clericalem aut quocumque officium, & spectant ad bona huic Communitati obligata, quæ vero dantur intuitu consanguinitatis, affinitatis, vel amicitie mere naturalis, bonis patrimonialibus annunciantur. In casu dubio donationis factæ standum juri communi, ea tamen lege, ut si a consanguineis, & affinis usque ad quartum gradum, inclusive donationes fiant, ea censentur factæ personis, in cæteris vero casibus dubiis censentur factæ intuitu Instituti, sive officii.

XXXIV.

Debita passiva, in vita, aut post mortem, alicujus ex Instituto solventur ex mediis ab eodem relictis: Ubi vero ea non successerint, Communitas ad satisfaciendum iisdem obligata non erit, nisi cum expresso consensu Superiorum Instituti, & authentica ex scriptura eadem facta, esse comprobentur: Idque ideo, quia cæteroquin gravia incommoda huic Instituto accrescerent, & ipsum Institutum, quod curam talis personæ in vita, & morte in se suscepit, non tantum commodum pro membris suis non sentiret, verum etiam grave damnum pateretur.

XXXV.

Quando per Parochi, vel Beneficiati decessum;

tione in utramque partem: interim tacite secum rationum momenta discutiant, concedantque Consultatoribus sufficiens pro rei gravitate tempus deliberandi, ut sic in ferendis sententiis prudenter procedant.

LXXV.

In sententia, quam semel consilio elegerunt, fortissime persistentes, etiam non obstantibus quibuscumque contrariis, ad executionem rerum constantissime provehantur, si tamen propter circumstantias primum ex post facto supervenientes, aut prius ignoratas, moralis impossibilitas rerum exequendarum, aut majora damna ab executione proventura conspiciantur, providentia erit cum consilio seniorum aliam viam ingredi: praterea innatum animi teporem viriliter corrigant, matureque malorum initis obstant, medicinas oppositas non ad extrema conjiciant laborum perasi.

LXXVI.

Iustitiam diligant, eamque indifferenter erga omnes observent, suorumque delicta impunita non relinquunt, in horum tamen vindicatione pro rei gravitate, & personarum qualitate, ita se gerere studeant, ut omnes medicinam potius quam vindictam sentiant, insuper prudentia utantur, qua in delictis quedam dissimulare sciant, quae tempore magis congruo corrigantur, graviora prius corrigant, & gradatim ad minora sic descendant, cognoscantque cuiusque naturam quibus potissimum singuli facilius corrigi posse videantur.

LXXVII.

In rebus agendis extrema devitentur: proinde rigidior partem nunquam facile amplectentur quamdiu per mitiorem viam se obtinere posse correctionem sperant; neque interim per neglectum, aut contemptum minorum, solis gravioribus invigilandum esse sibi falso persuadeant, aut in hiis errantes admonere, & punire negligant. Memores quoque potestatis superioritatis sibi factae humilitatis studio, sua mandata, seque ipsos subjiciendo contemni non permittant, multo minus subditorum iudicia suis ita anteponant, ut malint ex illorum sententia errare, quam ex sua prudentia aliquid ordinare.

LXXVIII.

Ut in perpetua quadam erecta mentis statione suo officio invigilare valeant, temperantiae fulgore omnibus, tam domi, quam foris praevaldeant, & convivia devitent; neque spreto domesticorum suorum commercio, externorum conversationem, & amicitiam ambiant; sed libenter cum suis esse, conversari, & convecti fatagant; erga quos etiam, uti erga omnes alios liberales cum debita tamen moderatione existant. In conversatione se suis ridendos nunquam exhibeant, nec rebus illis se immisceant, quas ignorant, aut in quarum scientia non excellunt, inde enim dedecus potius, atque contemptus, quam auctoritas in eos redundare solet.

LXXIX.

Venerationis, aliarumque prerogativarum obsequia sibi a subditis praestata, mutuo honore, & charitatis officio omnibus grati repetant; quin & tamen ejusmodi venerationum stipendio subinde priventur, a charitativo tamen eorum obsequio minime recedant; hoc namque animos mire devinare, ac quasi captivare consuevit. Animi motus sibi subiectos, moderateque sus-

pensos habeant, maxime vero iracundiae frenum injiciant, & ubi subnascentes illius stimulos fenserint, vincant se ipsos, & cum tranquilla mens fuerit, quid agendum sit iudicent.

LXXX.

Caveant se respectibus humanis induci, ut horum intuitu ea inferioribus permittant, quae cum Instituti disciplina, felicibusque ejus progressibus pugnent. In omnes intentos habeant oculos, & in eos etiam, quorum virtuti atque industria multa committuntur, caveantque ne in eos nimia, vel confidentia, vel diffidentia ferantur, quia utrumque felicem familiam gubernationem non nunquam labefactat. Similiter uni nimium addicti tantum nunquam tribuant, ut alii se neglectos, contemptos sentiant, quae omnia emulationes, & contemptus, aliaque ingentia mala in gubernationem domesticam invehere solent.

LXXXI.

Detractionibus non solum fidem; ac aures non praebant, sed veluti pestem hoc vitium proferant. Adulatorum assentationes fugiant, neminemque in sua consilia admittant, quem hujus vitii reum habuerint, quae talenta unicuique Deus, natura, experientia, atque concesserit superiores solerter observent, & ex eorum cognitione munera domestica singulis dividant.

LXXXII.

Seniores, ac laboribus fractos ex animo colant, & venerentur, illorumque necessitatibus sedulo occurrant, paternaeque habeant. Paternam infirmorum curam gerant, ex animo illis condolendo, sepius visitando, verbis aliiisque tam spiritualibus, quam temporalibus mediis consulendo. Cognoscere quoque domesticorum suorum egressum, & ingressum, quibusque in occasionibus, & cum quibus converferentur, quid a singulis domi fiat, omnesque domesticis ordinis, ac disciplinae perturbationes pro viribus eliminare coeantur.

LXXXIII.

Ut officio suo eo magis satisfaciant in diariis omnia notabilia consignant, eo ordine, & modo, ut si necesse sit omnibus rationem reddere valeant. Sic Juraamenta a singulis praestata, & manu propria subscripta, aliqua ejusmodi particularia certo loco aservabunt, & ut has ordinationes perpetuo observent, singulis diebus tacite se compentent, quid in officio sibi commissis neglexerint, & si quid deprehenderit serio proponant, cum Divina gratia in humilitate Spiritus emendare.

De regressu ad Superiores.

LXXXIV.

Uni cuius subdito recursus ad Superiores majores conceditur, ut si quandoque quispiam a suo immediato Superiore, sive in spirituali, sive in temporalis necessitate indebit gravaretur, & de illis Superior humiliter rogatus remediari nollet, in eo casu ad mediatum, & altiorum Superiorem eo amoris, & confidentiae filialis affectu accedat, quo filius ad Patrem necessitate pressus accedit; servandus tamen erit in ejusmodi recursu debitus ordo, ut saltem regulariter, & sine speciali causa ab infimo Superiore, omisso remedio, ad supremum non recurratur, excepto recur-

cursum ad Summum Pontificem, qui semper etiam omisso medio adiri potest.

LXXXV.

Quod si ob quamcumque difficultatem a Superioribus hujus Instituti per privatam, & oeconomiam directionem, servato praedicto ad Superiores regressu, non correctam, ad forum publicum in rebus hoc Institutum concernentibus a gravato deferenda foret, decisio talis difficultatis, juxta hujus Clericalis Instituti Constitutiones a S. Sede Apostolica approbatas, & SS. Canones regulatur ab eo Rmo D. Ordinario in cujus Dioecesi ejusmodi difficultas occurrit.

LXXXVI.

Praedictus regressus in vera, bene considerata, & rationabili necessitate quae vel personam, vel oeconomiam, vel statum concernat, ita fiat, ut interim de pristino, ac debito amoris affectu, aut de subjectionis voluntate, ac promptitudine nihil remittentes, omnia aequo animo, sedatis profus passionibus cum debita humilitate, suae voluntatis resignatione, ac prompto, & indifferenti ad omnia animo, Superiori aperiant, & ejusdem iudicio tanquam filii obedientiae acquiescant. Modum denique cum in praedicto regressu ad Superiorem observent, ut inde nulla incommoda, aut disciplinae domesticae detrimenta consequi possint.

De revelatione Hominis interioris Superiori faciendae.

LXXXVII.

Medium in primis necessarium ad conservandos status spirituales in debita sua perfectione, & perenni felicitate, est revelatio hominis sui interioris, cujus beneficio notitia acquiratur, qua propriis quarumlibet tentationum, & supplantationum diaboli (quibus ipsam status substantiam, & genuinum vocationis Spiritum paulatim in singulis membris infringere, enervare, & pessundare conatur) principis mature obvietur, ac resistatur, infidiaeque mundi, ac carnis mature deprehense detegantur, ac declinentur, aut futurae, imminentesque praevaleantur.

LXXXVIII.

Proinde singulis annis unusquisque semel tempore exercitiorum Spiritualium Patri suo Spirituali totum hominem suum Spirituale, & internum fidei sinceritate revelet, & detectis ea ratione diabolice supplantationis insidiis, & salutaribus ejusdem consiliis contra easdem munitus interim de novo pie, sancteque vivere, & in viam salutis, ac perfectionis progredi incipiat; Confessario quoque suo proprio suum internum hominem tam ad bona, quam ad mala aperiant, insinuetusque, sive bonos, sive malos revelent: praeterea per modum familiaris colloquii Superiori in districtu Decanali omnes Clerici, qui sub ipso degunt, tempore visitationis fideliter statum, in quo pro tempore, quoad suum hominem spirituale fuerint, aperient; cujus etiam spiritualibus, mediis, & piis monitis, quae praescripserit diligenter, acquiescent.

LXXXIX.

Idem observant Superiores Decanali districtum respectu Praefidis Dioecesei sub visitatione annua ejusdem, aperiendo eodem modo statum hominis sui spiritualis candida fidelitate: Pari ratione Praefides Dioecesei, quoad suas per-

sonas, uti, & illi, qui eisdem Praefidibus cohabitant observant, respectu majoris Superioris, sive tempore visitationis, sive alio tempore convenienti, singulis annis hominem suum internum, pari ratione revelantes, & sic per ordinem Superiores omnes usque ad Supremum Praefidem id observant; denique ipsemet Praefes Supremus in annuis exercitiis eandem revelationem, hominis sui interioris Patri suo Spirituali faciat, pari quoque ratione negotium animae suae in humilitate, & fidelitate cum Confessario suo proprio omni tempore vitae suae pertractabit; porro dexteritas in Superioribus requiritur, ut revelationem ad sectandam majorem perfectionem in fortitudine spiritus excitatum cum consolatione dimittant.

De notitia personarum habenda.

X C.

Quantum fieri potest Superiores hujus Clericalis Instituti notitiam de singulis, & de totius status Constitutione provide omni tempore calere oportet; qua ratione singuli ad obtinendam aeternam salutem, & status totus ad debitam suam perfectionem, quam congruentissime dirigatur. In hunc finem quilibet Superior tam pro spiritualium rerum, quam temporalium directione constitutus, notabit ea, quae consideratione digna fuerint: deinde totius Instituti Praefes pro felici gubernatione nosse debet singulorum districtum statum, uti, & alii Superiores districtus sui notitiam habebunt: in hunc finem Superiores inferioris Ordinis majoribus Superioribus de personis sibi subditis debitam informationem certis temporibus dabunt; scilicet Superiores Seminariorum de suis studiosis, uti, & Superiores Domuum Emeritorum de personis ibidem existentibus, Superiores districtum Decanali de personis sui districtus, & sic per ordinem.

Ordinationes pro Oeconomis.

XCI.

Ut Communitas bonorum cum majori fructu Ecclesiae Catholicae ac praesertim Cleri executioni dari possit, & ut omnia hujus Instituti membra videant, ac re ipsa experiantur, quod praeter bonum in rebus, & exercitiis spiritualibus ordinem, etiam temporalium administrationem in omnibus quoad fieri potest, ordinate procedat, singulorum locorum Oeconomis eam in administrandis rebus temporalibus adhibeant curam, ut merito singuli propter bonum in rebus omnibus ordinem ex animo letentur.

XCII.

In hunc finem tam superiores, quam Oeconomiarum administratores, & quicumque aliquo modo rerum temporalium curam habent, magna cura, providentiaque circumspectes attendant, tam ad Subditos suos, quam ad universae Oeconomiae administrationem, eumque in eadem ordinem constanter observare fatagant, ut ex illa unicuique omnia non solum ad necessitatem, sed etiam ad convenientem commoditatem ministrantur; itaque omnes, qui simul habitant, exinde satisfactionem habeant.

XCIII.

Ad obtinendam praedictam administrationem domesticam spectat, ut singularum hujusmodi